

1899

C O D I C E S

1900

lar. Continet vero I. *Themata dominicalia super dietam salutis*, id est, Excerpta in usum homileticum e Libello ita inscripto, qui etiam fol. 11. continuo sequitur, et incipit: *Hec est uia, ambulate in ea nec ad dextram nec ad sinistram. Ys. XXX. Magnam misericordiam facit qui erranti viam ostendit maxime de nocte et in terra hostium tempore guerrarum &c. Dieta* barbata iter est, quod uno die confici potest, hinc vel hodie Anglicum *Journey* et Gallicum *Journée*; X. vero *Dietas mysticas* Libellus noster emittitur, cui hanc hederam sub finem Librarius adpendit: *Explicit tractatus iste nobilissimus qui propter sui bonitatem intitulatus est dieta salutis. quia per ipsum itur ad regnum celorum. Addere poterat autorem Bonaventuram, inter cuius opuscula prostat edit. Lugd. 1668. T. VI. p. 272. f.*

II. fol. 83. *Incipit flosculus beate uirginis. Inscríbitor: Reuerendo domino ac patri Monachus inutilis cuius personam et uocabulum nouit ipse Studioli sui primitiuos fructus. Nihil, quo autorem detegas, in hoc Praeloquio, cuius initium: Primitias ingenioli mei pater et domine beneplacitas nobis faciat karitas benigna &c. Libellus in Rubricas distributus B. Mariam ut Hortum conclusum, et Fontem signatum ἀλληγορικώς adumbrat.*

DCCXCV.

R. 2174 Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 221. 8. per duas

columnas minutius, sed nitide exaratus, rubricis distinctus, et quondam *Domus sancte Trinitatis prope Brunnam Carthus. Ord. Sermonarium* est nullo ordine dispositum, de Tempore, de Sanctis et moralis argumenti. Sermonis I. initium est: *Anima nostra &c. Laqueus &c. Sciendum quod dominus nobis multa gaudia uite in patria dare disponit, sed demones sic nos odiunt quod libenter uelint in perpetuum amplius torqueri ut cum ipsis torqueamur. &c. Texitur quidem ad Codicis calcem miniatus Indiculus, qui tamen ad nullas paginas remittit.*

II. fol. 178. sequitur *Tractatus de VII. speciebus timoris*, cuius Praefatio incipit: *Quoniam exempla plus mouent quam uerba &c. et qua de Exemplorum usu in sacris Dictionibus agitur citato beato Dominico et Magistro Jacobo de uitreio al. Vitriaco. De hoc Noster: suis sermonibus adeo totam franciam commouit, quod non existat memoria aliquem ante uel post sic mouisse. De timore Inferni pluribus Capitibus differitur. Alia de hoc Tractatu inter Cod. Asceticos retuli.*

III. fol. 205. *Incipit Tymdulus yberniensis militis. Et quidem a Praefatione Marci interpretis ad G. Abbatissam. Egi de hac Visione Vol. I. P. 2. col. 1258. et 2261.*

DCCXCVI.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 204 XV. Folior. 365. 4. currente calamo

1901

H O M I L E T I C I

1902

lamo scriptus exhibet Sermones sacros hoc ordine: De Evangeliiis *Dominicarum* a III. post *Pentec.* usque ad XXIV. Praeposita tamen est *Dominica Octava Tertiae*, et sic incipit Orator: *Homo quidam erat diues &c. Luc. XVI. Dicitur Eccli 31. Beatus diues qui inuentus est sine macula. Ecce diues iste de triplici macula hic reprehenditur &c. Sermo Dom. XII. fol. 29. habitus dicitur in margine a. 1467. Fol. 70. inijt alius Cursus ab Adventu usque ad Dom. XXIV. post. Pentec. jam non in solos Evangelicos, sed etiam in Epistolares et alios Textus, nec unius modo, sed plurimum etiam in eandem Diem Sermonum. Primus incipit: *Emitte manum tuam de alto, eripe me &c. Ps. 143. Ecce karissimi sicut naufragi in medio fluctuum &c. Fol. 292. sequuntur Sermones de Communi, ut dicitur, Sanctorum, quorum primus in illud: Duodecim fratres vno patre geniti sumus. Gen. 42. de Apostolis. Succedunt tamen etiam Sermo in Monialium Professione, de S. Clara, varii de Religiosis, Sacerdotibus, Praelatis &c. et postremus de S. Udalrico, humore, ut pae- ne Codex totus, multum vitiat.**

DCCXCVII.

R. 2160 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 232. f. per duas columnas caractere crasso luculento nitide perscriptus et rubricis ornatus *Homiliarium* est de praecipuis Ecclesiae per annum Festis,

et quamvis nullo peculiari titulo distinctum II. tamen *Libris* constans. Nam fol. 28. p. 2. Rubrica disertè edicit: *Plures sermones de quadragesima require in secundo libro sequenti*, et reipsa fol. 122. novus Ordo priori similis *Homilias* denuo ab *Adventu* usque ad *Dedicationem Templi* perducit. Erat fortassis in Operis fronte, quod divisionis hujus Lectorem moneret, sed enim 11. primae Membranae improbe, quod dolendum, evulsae sunt ita, ut prima nunc Rubrica sit: *Item de epifania domini. Dabo initium Homiliae hujus: Diem apparicionis domini et saluatoris nostri celebrantes ipsum, qui lux apparuit de luce uotis omnibus nos conuenit exorare. ut radios gratie sue nobis clemens infundat, quibus inter caliginem errorum ad ipsum redire. et eum qui pro nobis panis uiuus descendit, in domo panis mereamur inuenire. &c. Autor non indiligenter quaesitus lusit operam. Monachum tamen D. *Benedicti* Regulam professum esse oportet; ita enim in decursu: *Et que est, que nos coronare et insignire debet uirtutum integritas et perfectio. nisi stabilitas nostra in monasterio. Probat hoc sanctus pater noster benedictus &c. Praeterea fol. 28. p. 2. habetur Sermo de sancto *Benedicto*, qui incipit: *Sanctissimi patris nostri &c* Neque id adfirmare possum, omnes *Homilias*, quae nullum Autorem praefereunt, et magno numero sunt, ad eundem Autorem pertinere. Sunt tamen fatis multae, quae *Bernhar-***

H 3

do